



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Instrvctio Novitiorvm

Juan <de Jesús Maria>

Coloniæ, Anno M.D.C.XIII

Quarta pars de N. exercitijs.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48624](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48624)

spicit, cultum exactissimum fratribus nostris commendamus: & si enim Sanctorum aliorum imitatione laudemus, ad studium horum, quos providentia singulari a Deo nobis propositos esse cognoscimus, plurimi facere, quod ad instituti nostri perfectionem parandam valde conferat, æquissimum est.

QVARTA PARS DE N. EXERCITIIS.

De exercitiorum observatione.

Caput I.



Dissensionum subiugatio, virtutum acquirentio, & orationis studium eò conferunt, ut per instituti nostri exercitia, & superiorum præscripta, ad unionem divinam aspiremus: quod fratres nostri tam serio sibi persuadere debent, ut omnino credant, ad finem, quo tendunt, exercitia nulla opportuniora, quam quæ Cōgregatio præscripsit, ab eis cogitari potuisse.

2 Graviter quippe sibi, & bono communi

R 2

noce-

nocerent si parùm prudēter existima-
rent, actus alios, quàm qui ad singulas
horas eis iniunguntur, ad monasticam
perfectionē comparandā, eis assignari
opportere: quo enim animo suscipiēt,
quod minus sibi prodesse opinantur?

3 Quia in re ij, qui in sæculo spiritualib⁹
exercitijs imbuti, non nihil sibi didicis-
se videntur, peius errant: cum enim sta-
tus monastici sint adhuc ignari: ac pro-
pterea de rebus iudicium sanum ferre
nesciat, opiniones olim conceptas, in
detrimentum perfectionis, angelus Sa-
tanæ illis vehementer laudat; & lucis
Angelum simulat.

4 Quapropter fratres nostri, quicquid
in sæculo didicerunt, deponentes, &
prima spiritualis doctrinæ elementa se,
statu mutato, nondum scire arbitrātes,
illud Apostoli effatum eis cōgruere cre-
dant: Qui se existimat aliquid scire, nō-
dum nouit, quomodò oporteat eum
scire.

5 Ex hac verò sui cognitione, Magistro
sese submittant, vt quamuis insigni lit-
teratura, etiam Theologica polleant, ni-
hil ex anteacto studio vsurpare, sed no-
uum

num Beatissimæ Virginis lac exugere
velint, certoq; nouerint, eo ipso, quod
ex parte in sæculo doctrina, præter O-
bedientiæ placitum, aliquid repetant,
min^o eruditionis diuinę se percepturos.

6 Profectò Apostolus multa in sæculo
ad pedes Gamalielis didicerat, adeò, vt
ei aliquando nimia scientia sic exproba-
ta fuerit : Paule multæ te litteræ ad in-
faniam ducunt : & tamen ad pedes Iesu
Christi cœlestem sapientiam edoctus,
ait : Nihil putauim me scire inter vos, nisi
Christum, & hunc Crucifixum.

7 Postquàm ergo Christi scholam fra-
tres se ingressos animaduenterint, omnẽ
suam operam eò conuertant, vt actus
eis demandatos exactissimè obeant : sic
enim iuxta sanctorum Patrum monita,
actus quilibet exercendus est, ac si eò pe-
racto anima è corpore migratura, Deo-
quẽ rationẽ operis redditura esset. Qua-
lem ergò affectum esse oporteat, si Deũ
rationem statim exigere uelle, ponen-
dum est ?

8 Verùm quamuis consilium hoc non
foret obseruandum, re ipsa prudenter
expensa patet, insignem stultitiam esse

actū vnumquēq, à Deo præscriptū nō perfectissimè præstare. Si enim certum est actum illū ita tunc à Deo imponi, vt illum à me, nullum verò alium exigat, aut probet, qua mente possum, cordis partem vllam actibus alijs vendicare?
 9 Tunc sanè, dum actum iniunctum exerceo, ita bonū omne, quod in præsentī vita mihi euenire potest amplector, malumquē omne, quod accidere posset excludo, vt si qua fœlicitatis pars in hoc exilio vnquam obtinetur, ea esse videatur, quæ in actu illo tunc tota consistit. si enim modò, dum Deus per superiorē actum designat illū, omnes alios excludit, solus ille bonus mihi est, ac proinde, tunc totum bonum est, nequit enim, nolēte Deo, bonum aliquod aliud mihi contingere. Quale verò malum nocere possit, dum actu illo, clementissimo Deo plus placeo, quàm si miracula patrarē: immò, dum solo actu illo placeo, & reliquos sibi non placere testatur? Veniāt hostes; irruat ipsa mors. Quid fœlicius, quàm tunc interire. cū Deo placeo: an damnetur qui tunc iudicatur, cū Deo iudici placet?

10. Ex quo satis apertè perspicimus, quã longè & à Dei voluntate, & à bono suæ salutis aberrent, qui, dum horas canonicas persoluunt; orant, vel quiduis aliud à Congregatione decretum, efficiunt aliorum actuum sollicitudine distrahuntur. Vtinam rationes allatas pensitarent: utinam saperent, & intelligerent, ac novissima prouiderent.

11. Cum ergò in vnoquoque minimo Congregationis ritu, (quod ex dictis liquet) voluntatè Dei expressã, & propterea totius boni complexionem, & immunitatem ab omni malo fratres nostri habere possint; sic institutum nostrum amare, ac erga omnes, ac singulos Congregationis actus, affici debet, ut quam sancti singularitatem appellant, exosam habentes, pro minimorum rituum obseruatione tuenda, sanguinem quoque profunderè parati sint.

12. Hæc quippè ad legum custodiã animi magnitudo filiorum Dei propria est, & ad Christianã perfectionem acquirendã mirificè cõducit; e cõtrario verò nihil insignè sperari potest, cum actus Cõgregationis parum magnanimiter exercetur.

13 Constat enim, exercitia, quæ ingenio suo salutaria sunt, ignauia deprauari, & in materiam morborum spiritualium perueri: quod tunc euenire quotidiana damna declarant, cum actus communes ex assuetudine quadam, sine spiritali conatu, frequentantur.

14 Absit ergo, vt filij Dei viuentis, ante naturalem mortem, quo pane viuere possunt, moriantur; & actibus ipsis, quibus spiritus emortuus excitatur, ipsi spiritum extinguant.

14 Quorsum enim venerunt, nisi vt strenuissimè agerent, & regularium actuum obseruatione accuratissima, se mutuo ad certamen prouocarent; sicut olim Sacerdotes, qui stabant in officijs suis, & Leuitæ in organis carminum Domini, quæ fecit rex inuidiosissimus Dauid ad laudandum Dominum quoniam bonus, quoniam in æternum suauissima misericordia eius, dulcissimos hymnos Dauid canentes per manus suas?

16 Profectò tanti ponderis est legum, non solum diuinarum & monasticarum, sed etiam humanarum exacta custodia, vt præsentis quoque vitæ bona innumera

merapariat . Hinc enim Spartanorum
laus & foelicitas : hinc Romæ amplitu-
do succreuit.

17 Sed sacra Machabæorum laus maxi-
ma est, qui pro patrijs legibus decertan-
tes in populū , & principatū potentissi-
mū creuerunt: à quibus tyranorū furor;
vel vnius ceremoniæ omissionē nullis
prelijs, nullis cruciatibus potuit extor-
quere.

18 E quorum genere fuit illustrissimus
Eleazarus vir ætate prouectus, & vultu
decorus, cui cum ab amicis offerrentur
carnes, quibus vesci iuxta legem licebat,
vt simularetur carnes à Tyranno Rege
præceptas edisse, ac per hoc à morte li-
beraretur : respondit citò, præmitti se
malle in infernum , ac honesta morte
perfungi.

19 Hac ergo cordis magnitudine , pro
ceremoniarum etiam leuium ob-
seruatione fratres nostri ar-
mandi sunt, subiecto.
ctorū exercitiorū
feriem exple-
turi.

R 5

EXER-

EXERCITIA QVOTIDIANA.

Dato primo quarumuis horarum signo, pium quid mente versantes, quo excitantur, in Oratorium festinanter conueniant.

2 Ad Matutinum præsertim, & orationem matutinam strenuius exurgant; & æmulatione pia tabellas arripere, cæteros excitare, & primi ad Oratoriū peruenire conentur. Quod vt alacrius præstent, sciant tabellas arripienti, eius qui minùs diligenter è lecto surrexit illius nocturæ vigiliæ, vel orationis satisfactionē esse, ex cōmuni pacto reseruata.

3 Postquam in oratoriū fratres omnes conuenerint, signo à Præfide dato, terram osculātes, & bini se altari profundè inclinantes in chorum procedant, voce submissa, Psal. Miserere dicentes. In ijs verò cæremonijs, quæ ad chorum spectant, quæ sunt in Ordinario præscripta, seruabunt.

4 Officio chori peracto Magistro vel Præfide incipiente Psalm. Misere-

re,

re, in Oratorium reuertuntur.

5 Præscriptum hunc eundi, ac redeundi morem obseruabunt: quoties à Nouitiatu in chorum, vel capitulum tendent, vel inde ad Nouitiatū ad Litaniā, Missā, coronā exhortationēue redibūt.

6 Matutino expleto, simul Fratres omnes, vbi Magister decreuerit, per horam dimidiam orabunt: nisi Magistro visum fuerit, tēpus aliquādo corripere, Ad eius autē orationis finē Beatissimæ Virginis Litanie dicentur, Magistro Orationes subiungente. Statimque cubitum silentes ibunt, vsque ad signum orationis matutinæ.

7 Ante somnum, orationis materiā eligant, cui indormire curēt: & simul, ac postea excitātur, Dei præsetiā, & virtutem, cui hebdomada illa studēt, reiiciētes quasuis alias cogitationes, mente cōcipiant & dum se ad orationem cōparant, vel in ipsamet oratione, cogitationes, verba, & opera, vt in instructione præscribitur, ad Dei gloriam dirigant.

8 Postquam descripta iam æmulatione ad orationem matutinam accurrerint, & eam, cum horis sūmo mane recitari

solitis, vna cum cæteris Fratribus per-
fecerint; in Oratorium conueniant vbi
B. Virginis Litanias cum Oratione, De-
fende quæsumus Domine. Sanctissimæ
genitricis tuæ sponfi. Et: Omnipotens
sempiternæ Deus, qui viuorum domi-
naris simul & mortuorum, &c. recita-
bunt. Orationes verò subiūget Frater
antiquior, nisi adsit quis Diaconus, vel
Sacerdos, vel Magistri socius.

9 Expleta Litania mox ad cellas com-
ponendas se recipiant, quas munditie
nitere, & quoties poterunt, ante Orati-
onē matutinā, expedire cōponere curēt.

10 Postquam in cellas se receperint, ge-
nuflectentes bona illa, quæ ex oratione
hauserunt desideria, firmiore tunc pro-
posito stabilient, & si quam culpam ad-
miserunt, explorabunt.

21 Dato deinceps campanulæ signo, ad
locum à Magistro designatum, ad sacrū
simul audiendum conueniant. Vnde, alij
ad officia eis iniuncta explenda, alij
ad Missæ ministrandum, reliqui ad cel-
las, lectioni, & meditationi, vel alijs ex-
ercitijs à Magistro præscriptis, vacaturi
cōtendent; quousque ad horas ante præ-
dium

diū exoluēdas, signo dato, cōuocentur.

12 Postquam vnā cum reliquis cœnobij Fratribus, horis examini consciētiae, prandio gratiarumquē actioni interfuerint, in recreationem horæ vnus, cum Magistro secedent.

13 Nihil in recreatione iniussi loquantur, sed vel audiant Magistrum, eiusuē loco Præfidentem; vel ab eo interrogati, respondeant. Et, si velint sciscitari, veniam prius exposcant. Solent autem Fratres nostri ad ea omnia genuflectere.

14 Inter ipsos mutua verba, etiam ipsius recreationis ordinariæ tempore, sine venia, nō permittuntur. Venia verò data, non nisi ad verba salutaria prodest.

15 Recreatione expleta, in cellas se recipiāt, nisi quid ex obedientia, tunc alibi agendum, sit.

16 A Paschate vsq; ad exaltationē Crucis post Nonā, ab exaltatione vsque ad Pascha, post Vesperas expletas in Oratoriū cōueniētēs, genibus flexis, Beatissimæ Virginis coronā, & pro lucrādis indulgētijs religionis septies Pater, & Aue Maria, & Psal. Miserere, cū oratione pro Pontifice per horā dimidiā recitabunt, qua peracta, qui tēpus horologio meti-

tur Magistrum vocabit, vt fiat exhortatio, ad quam audiendam compositis animis, dato signo, sedebunt.

17 Quando fratres in exhortationibus à Magistro interrogabuntur, de præsentia Dei, hoc est, quo pacto, die illa, Deum mente versent, ac de virtute, quam hebdomada illa impèsius colere statuerint, singuli genuflectent: qui verò præsentia Dei manè concipiendæ immemor extiterit, ad negligentia signum, & expiationem se prosternet.

18 Fratres à Magistro, vel zelatore, de culpa quauis admoniti, confestim se prosternant, dicentes, (mea culpa) & multa cordis submissione, correptionem audiant, & iniunctam pœnitentiam subeant. Dato verò signo surgant, & Magistri scapulare osculati, ad sua loca modestè reuertantur.

19 Cum quis iuxta cœnobiticam disciplinam verberabitur, ad exhortationis finem, genuflectet, & cingulo, habituque laxato, & scapulari à tergo super caput reiecto, tergi partè, ad ictus excipiendos, nudâ exhibebit, ac deniq; Magistri scapulare sūmmissè osculabitur. Eūdem
etiam

etiam moré obseruabunt, qui ad meriti augmentū, vt frequenter fit, ac expedit fieri, verberari simul cū eo, qui corripitur, postulabunt.

20 Quo die Magister nec de culparū correptione aget; nec de præsentia Dei, cultuque virtutum rationem exiget; sedentes audiant, quod ille docuerit.

21 Tēpore ab exhortatione vsque ad orationem intercurrente, piæ lectioni, ac orationi vacabunt. Nouerintque apud Fratres nostros hāc cōsuetudinem viguisse, vt tēpus à cæteris status nostri obligationib⁹ reliquū, orationi perēni, inter ipsos, distributæ, corā altari Sacramēti, ac Beatissime Virginis effigie dicarēt; quod fuit, inter nos, Dei gratia, quasi iuge sacrificium: quod eis summo opere commendamus.

22 Dato vespertinæ orationis signo, eō cū cæteris cōuenient; & post reliquos actus communes expleto Cōpletorio, in Oratoriū ingrediētur; vbi antiphonā B. Virginis (Sub tuū præsiidiū à Magistro vel Præside inceptā cunctanter prosequētur. Subiūctisque orationibus: Defende quæsumus: Sanctissime genitricis;

triciſ: Eccleſiæ tuæ. Et accepta flexis genibus benedictione, ſilentē in cellas recedent: vbi piæ lectioni, ac meditationi vacabunt; donec dato tabellarum ſigno, cubent. Et quieſcent, quouſque ad matutinum, media nocte excitentur.

Exercitia cuiuſlibet hebdomadæ.

- 1 **Q**uouis die Sabbathi, quilibet Frater ſeliget vnã, in quam incubat virtutem; qua ſe præſertim indigere dignouerit; ac eiꝯ actꝯ, quã frequenter poterit, exercebit, adhibito orationis, internorum, & externorum actũ, multo conatu, legetque caput inſcriptũ de virtute illa, prout in Inſtructione habetur.
- 2 In virtute ſeligenda, Fratres rationẽ habeant eiꝯ vitij, paſſionis, vel tentationis, qua potiffimum vexantur, virtutẽque contrariã eligãt, peculiari affectu interpoſito Sanctorum obtentu, pro illo Dominum deprecantur.
- 3 Poterit quiſ virtuti vni non per hebdomadã vnã tantum, verũ & per plures ſtudere, quouſq; diuino adiutorio aliquos progreſſus in ea fecerit.
- 4 Simulatque excitãtur Fratres manẽ, conen-

conentur aliqua pia cogitatione ad virtutem electam parandam opportuna, ante oēs aliarū rerum imagines, armari.

5 Quavis hebdomada bis saltem sacrā Communionem recipiēt, die videlicet Dominica, & Feria 5. Pridie verò quàm ad cælestem mensā accedāt, prolixiore oratione, ac aliquo pœnitentiæ opere se comparabunt: die autem ipso cōmunionis, orationem, & gratiarum actionē quoad poterunt, protendent.

6 Bis per hebdomadas singulas confiteātur Magistro vel eius socio. Alijs verò minimè, tametsi à cōmunionem propter eos abstinere oporteat, nisi de superioris venia rarò concedendā in aliquo euentu alicui confiteri permittantur.

7 Feria sexta vespertino officio absoluto, signū dante Oratorij Sacrista, Vesperrū Suauissimi nominis Iesu, cūctāter, ac religiosè Fratres in Oratorio recitabūt.

Exercitia mensura.

Initio cuiusque mensis, fiet sponsio communis de virtute vna paranda, quam Magister bono communi Nouitia-

uitia-

uiciatus oportuniorem censuerit. Prouocationis autē formula erit hæc. Qui hoc mēse. N. virtutē ardentiore affectu coluerit, à cæteris Fratribus quintā meritorem partem lucrabitur.

2. Prouocationem verò lectam describent & in conspicuo loco parieti cellæ affixam, quotidie per mensem illum, relegent, ad memoriam excitandam, & cor impellendum.

3. Licebit interdū, ex Magistri venia, certamina maiora alterutrum inire. Quod à Fratribus fieri præsertim solet, diebus extraordinariæ recreationis, & cum à cœnobio Nouitiatus aliò migrandū est.

4. Solent inter nos ab vno in aliud Nouitiatus Cœnobiū mitti certamina, quibus animi vehemēter inflāmari, & charismata meliora emulari cōsueuerunt.

5. Is, cui per singulos mēses sortito cōtigerit Sanctissimę Eucharistię cult^{us}, ad ambitriū Magistri horis in scedula præscriptis, & quoad poterit, vlteri^{us} coram altari, orationem producet.

6. In Vigilia eius Sancti quem quisque sortitus fuerit, de Magistri venia ieiunabit.

nabit: dieque ipso sacram Eucharistiam
 sumet. Sancti verò illius historiam lege-
 re curabit.

7 Curet quisque Fratrum, ut mensis nul-
 lus prætereat; quo non subeat aliquam
 mortificationem extraordinariã, in Re-
 fectorio fieri solitam. Ordinarias verò;
 ex Magistri venia frequentiùs exercebit.

Exercitia annua.

1 **I**N Vigilia Circumcisionis, Dulcissi-
 mi nominis Iesu Vesperæ cantabū-
 tur: eritque fratribus dies solennissimus.

2 Ante Solemniora festa, putà, Pascha-
 tum, Corporis Christi, Beatissimæ Vir-
 ginis & sacratiora tempora, putà, Qua-
 dragesimæ & Aduentus, solent Fratres
 nostri peculiaribus tum internis, tum
 externis exercitijs, ex Magistri venia, se
 comparare. Quam consuetudinem ob-
 servare conabuntur.

3 Dieb⁹ recreationis extraordinarię, &
 Festorum valdè solemnum, quibus eis
 fit copia mutuo loquendi, solēt Fratres
 nostri, quodam martyrij simulacro se
 exercere: dum alius Tyranni imperātis,
 alius martyris fortiter se periculo obij-
 cientis,

cientis, alius cuiuspiam impietatem suadentis, alius carnificis necem inferentis, personam agit. Quo certè exercitio (vt multis patuit experimentis) animi ad pietatem acriter inflammantur.

4 Prædictis etiam diebus, & sigillatim in Exaltatione sanctę Crucis, solent Fratres nostri de strictiore vitę regularis obseruatione spõsiones mutuò facere: Et cum magistro, ac eius socio pacisci, vt pro quavis culpę cuiusq; admonitione, vel corruptione aliquas preces gratitudinis causa rependant. Ex quo insignis utilitas emanare solet.

5 Quisquis Fratrum iuxta instructionē sibi à Magistro tradendam semel exercitia spiritualia faciat, nisi Magister aliud de Fratre aliquo decreuerit.

6 Per mensem, ante Professionem, productiore oratione, & pluribus exercitijs, ad opus tantum se comparabunt: & flexis genibus à Patribus ac Fratribus reliquis preces postulabũt, vt eis adminiculis præmuniti, ad rem tam salutarem aggrediantur.

7 Recenter induiti, intra duos mēses, nisi Magister rem porogauerit multa cū exacti-

exactione confessionem generalem faci-
ant, obseruatis Magistri monitis in eo
genere tradendis.

De actuum directione.

Cap. II.

EXercitia, quæ à Fratribus frequen-
tanda sunt, quò fructus reddant
superiores, ad clementissimum Deum,
ardentiore affectu dirigi debêt; nõ ma-
ne tantũ, sed ad actus singulos, quoad per-
fragilitatẽ licet: mod^o autẽ directionis,
cuius Fratres nostros oportet esse peri-
tissimos, idẽ ubiq; , ac semper esse pote-
rit, mane fusior, reliq; tẽpore cõtractior.

Exemplum.

Clementissime Deus, cui me totũ
ex multis capitibus debeo, me ip-
sum totum, cogitationes, verba, & o-
pera totius vitæ, sed hodierna peculiari-
ter vnà cum Iesu Christo Domino no-
stro, Beatissima Virgine, vniuersis spiri-
tibus, beatis, & sãctis, qui in cœlo, ac iustis,
qui ybique existunt, quos omnes mihi
arctissimẽ per affectum astringo, dirigo
ad gloriam Maiestatis tuæ, tibi que sine
intuitu

intuitu alio, per illa omnia placere impensissimè cupio; ac opto ultra ea, quæ recē sui innumera millia perfectissimorum cordiū, quæ simul cū eis ab æterno tibi placuissent, & placitura in æternum essēt, possidere; omniaq; hoc desiderio intra me cōcepta, tibi ad singulos halitus offero in hostiā pro peccatis expiandis, in hostiam gratiarum actionis, ad gratiā pro beneficijs vniuersalibus, & peculiaribus, referendam; in hostiam pacificā pro bonis omnibus, quibus egeo, vsque ad beatitudinis adeptionem impetrandis; in holocaustum ad vniōnem cordis tecum ineundam, & diuinam Maiestatem tuam protestandam.

3 (Eisdem quatuor modis, actus, cogitatus, & verba singula cum illis cordiū millibus, quadruplo merito aucta in Deū referri debent: sed post Deū sic ad Beatissimā Virginē, cui quaternæ hostiæ illæ non congruunt, quod patriæ cultus sit soli Deo reddendus, directio concipienda est.)

4 Beatissima Virgo, & me totum, & cogitationes, verba, & opera vitæ toti, sed hodierna peculiariter, & vniuersa corda illa,

illa, quę recensui (quoad licet) quàm latissime possum, in laudem tuam dirigo, & tibi per omnia illa placere summo perere cupio.

5 Directio hæc duplex, ad Clementissimum videlicet Deum, & Beatissimam Virginem destinata, post aliquot dierum frequentiam celerrimè fit, initio tamè, & manè præsertim, vbi attentius, & expressius pro die toto concipitur, impensissimo affectu produci debet, vt cordi aliis imprimatur.

6 Sed præter directionem hanc ad singulos actus, motibus rei cõsentaneis cor ad Deum erigendum est, vt patet exemplo.

Exemplum.

PRO Canoniciis horis, Clementissime Deus, te laudare desidero, & Beatissimam Virginem, vniuersos Angelos, ac homines, cum alijs creaturis, & mundos alios innumeros, quos creare posses, ad laudem hanc tuam cupidissimè conuoco.

• Pro Oratione. idem prorsus modus, ac pro horis Canoniciis.

Pro

Pro Capitulo. Clementissime Deus, Peccaui in cælum, & coram te, propiti-
us esto mihi peccatori, & fac vt me cul-
parū serio peniteat fac vt culpæ meę de-
tegātur, & remedijs efficacib⁹ expiatur.

Pro sacra Confessione: idem modus
ac pro Capitulo.

Pro Refectorio. Clementissime De-
ns, vocor ad esū: vtinā vocarer ad mar-
tyriū; fac Domine, vt frugaliter vescar.

Pro Recreatione. Clementissime De-
us, vocor ad corpus recreandum, vt ala-
criter redeam ad laborem; vtinam pro
te ad torturam vocarer: fac Domine,
vt modestè agam.

Pro Cōcione, vel exhortatione. Cle-
mentissime Deus, te dicentem nunc au-
diturus sum: vtinam verba tua impri-
mantur viscerib⁹ meis, vt melior quàm
accedo reuertar: fac Domine, vt verba
teneam, & eliquetur veritas tua in cor
meum.

Pro Missa. Clementissime Deus, sa-
crificio huic dignitatis infinitæ interesse
cupio, fac vt vigilanter, digneque mini-
strem, ac fructus sacrificij particeps sū.

Pro sacra Cōmunionē. Clemētissime
Iesu

Iesu Christe, te sumere paro, fac, vt pu-
ro corde tibi coniungar.

Pro cubitu. Clementissime Deus, qui-
escendum mihi nūc est: fac, vt sine cor-
poris indulgentia, somno utar, & ad te
laudandum festinus expergiscar.

Pro ministerio mensæ. Clementissi-
me De^o famulus tuus ministrare debeo,
fac me sollicitum, vt eis necessaria om-
nia sine culpa ministrem.

7 Hæc exempli gratia posuimus, vt ex
his Fratres nostri discant actibus exter-
nis internos appositè conciliare, & vnà
cū directione illa quaterna superius de-
scripta coniungere: Illa quippè sola, licet
meritis fœcunda sit, non tamen res sin-
gulas expendit, quas, vt rebus & proxi-
mis quoq; iatis fiat, expendere opus est.

*De usu præsentiæ Dei erga quotidianos
actus. Cap. III.*

1 PRæsentiæ Dei, (vt in orationis cõ-
pendio tradidimus) est studiū, siue
applicatio mētis ad Deum, siue intelle-
ctuali, siue imaginario modo conceptū:
alioquin, si satis esse Deum esse præsen-
tem nobis, non tantum nos, sed vni-
uersæ

S

uersæ

uersæ creaturæ semper in Dei præsentia versarentur: at non est hic sanctorum Patrû sensus, cum de præsentia Dei verba faciunt, sed ille, quem descripsimus.

2. Bisariam veró mens applicari potest ad Deû, vel eo modo, quo quis amicum intuetur, cû nihil aliud præter aspectum efficit: vel alio modo, cû præter intuitum illum, multis affectibus, & virtutû actibus, se mens ad Deum excitat, eo modo, quo quis (in allata similitudine) amicum non modo spectat, sed ei dona offert, vel pollicetur.

3. Modus primus, licet interdum vtilitatem afferat, cum quis, à continuis aspirationibus interquiescit, & tantillum synceris oculis amanter Christum inspectat, vulgo tamen otiosus est, nec animum inflamat: quamobrem Fratres nostri secûdo frequētissimè vtântur.

4. Siue enim in cellis maneant, siue foras prodeant, siue laborent, intercalatis aspirationibus, siue iaculatorijs orationibus, Christum alloqui, se illi offerre, profectum ei proponere, nunc humilitatis, nunc gratitudinis, nunc spei, nunc amoris, nunc contritionis actum producere,

ducere, & cum eo, quicquid agendum est. cōferre, ac auxiliū deprecari debēt.

5 Opera ergo, quæ exercenda sunt, vnā cum ipso Iesu Christo Domino nostro incepturi, ac peracturi, eum ducem nostrum præeuntem inspicere, ac multis cordis motibus comitari, in vnoquoque actu nitantur.

6 Nec solum hæc Dei præsentia hic circumscribenda, sed ad proximos extendenda est: vt singulos, quasi Iesu Christi Domini nostri Fratres, sic ab eo appellatos, vel tãquam filios eius sanguine pretiosissimo redemptos, & in æternū regnatos aspiciant: ex quo, & amor, & reuerentia, & pax, & alia immensa bona proficiscuntur: Superiorem autem, & Magistrum Christi personam agere, planum est.

7 Quin etiam sic Dei præsentia Fratres nostri se dedere debēt, vt nullā prorsus creaturā, puta lignum, vel lapidem, sine Dei respectu intueantur: sic enim, quot creaturas, tot Dei admonitiones habebunt: sibi que certissimè persuadeant, in paucis capitulis huius monitis ferè totam spiritualis vitæ sapientiā positam esse: vt

impossibile sit, cum illorum incuria spiritualis viros euadere.

De usu Sacramentorum, & examine conscientia. Caput. IIII.

- 1** Frequens Sacramentorum usus insignem à Fratibus nostris puritatem, ac rerum notitiam requirit: decet enim eos, quaedam Dei esse sacraria, mores candidos olentia, quibus clementissimus Deus oblectetur.
- 2** Et quod ad Sacramentum poenitentiae spectat, vigilanter caueant, ne culpam leuium (Dei enim gratia graues absunt) quidam despectus obrepat, qui doloris sensum adimat: si enim leuissimas quoque culpas non horreant, nunquam proficient: sic autem se comparabunt.
- 3** Iesum Christum Dominum, ac Pontificem nostrum praesentem imaginatione concipiunt, & id seorsum coram eo, quod postea coram Confessario efficiant. Confessarium verò adeuntes, & ad eius pedes procubentes, dolore quam poterunt maximo, per tria communia cogitationum, verborum, ac operum capita, omissionibus & vniuersè toti à re actę vite peccatis, sigillatimque

latimque (ad materiam certam assignandam) præteritis mendacijs, ad confessionis calcem subiunctis, culpas detestentur: quæ confessionis methodus æquè ab omnibus tenenda est.

4 Hanc quoque (excepta illa materiæ assignatione) in examine conscientie obseruabunt coram Iesu Christo D. N. quasi ad eos audiendos præsideret, quemadmodum, de præparatione ad Sacramentum poenitentiae modò dictum est: & ut culpas expient, leuem aliquam, pro illarum modo, sibi poenam imponant: qualem videlicet, Confessarius, pro similibus culpis iniungere solet.

5 Huius quoque methodi tria capita percurret, bis per singulos menses, Magistro de rebus suis omnibus rationem syncerissimè, quasi Deo reddentes.

6 Eucharistiae verò Sacramentum recepturi negligentiam vitent, ac multis Fidei, Spei, & Charitatis potissimum actibus cordis domum instruere curent, qua Rex tantus excipiendus est, definito tempore aliquanto, ad eos actus produendos. Recepto verò sacramento, Iesu Christo D. N. intra ipsos condito

intensissimè vacent : & ad quælibet bona impetranda , & mala propulsanda , tempus illud quamdiu species Sacramenti consumptæ non sunt , sciant esse opportunissimum.

*De formula preparationis, qua professuri,
& induendi uti debent.*

Caput V.

1 **Q**uisquis induendus, vel solenniter professurus est, in hunc modum se comparabit; qui & induendis, & professionem emissuris communis est: nam qui vellet indui, &, quod ad se spectat, profiteri formidaret, veste nostra parum se dignum exhiberet.

2 Hoc ergo duntaxat discrimen sit oportet, ut quamvis uterque profiteri velit, alter tamen non possit.

3 Quamobrem, quod ad animi firmitatem, & affectum attinet, cum æqualis esse debeat utriusque voluntas, æquali sane modo utrumque oportet instrui, ut idem, quod professurus vouere parat, induendus firmissimè obseruare proponat.

4 Primum ergo, per tempus sibi decretum, ad actum illum præmeditandum,
cogi-

eogitabit se iam morti propinquum, & actu illo moriturū : eritque satis ad rē, se quasi vitulum quendam statim cædendum, ac Deo immolandum existimare: & sic aget, quàm ardentè poterit.

5 Opto, clementissime Deus, ad mortē hanc fœlicē duci, ac mihi mori: vt proprio sensu prorsus interempto, tibi fœlicius viam: sic enim fiam holocaustum.

6 Cupio sola voluntate tua regi, vt in rebus etiam minimis obedientiæ præscriptum sequar: vt per exercitium voti inter omnia potissimi intellectum tibi, ac voluntatem immolem.

7 Desidero certè omnem carnis, & sensuum voluptatem abdicare, ac vitæ austeritati accuratissimè studere; vt per castitatis cultum, corpus tibi sacrificem.

8 Opto vniuersas mūdi diuitias, & cōmoditates procul arcere, vt Christianā paupertatem mundi dominam amplectens, omnem quæ cogitari potest, opulentiam tibi offeram.

9 Quia verò in hoc mystico sacrificio tibi à me reddendo affectus ardere de-

bet, ac latissimè patere: cupio clementissimæ Deus, per Vnigeniti tui, & Beatissime Virginis, & vniuersa Angelorū, & hominum corda tibi grata intra me condere, & vnà cum corde meo, in holocausto actus istius, quem statim obiturus sum, ad æternam laudem tibi deuouere; & quoad possum religiosissimè deuoueo.

10 Clementissime Deus, cui multis de causis me totum debeo, detestor omnè anteactæ vitæ turpitudinem, propter te, ac firmissimè propono, tibi semper, ac per omnia famulari.

11 Suscipe, dulcissime Deus, victimam hanc multis desiderijs plenam, offero quippè tibi intellectum, ac voluntatem arbitrio tuo regenda, carnem austeritate domanda, & totius opulentia mundi contemptum, ad comparandam, trino sacrificio, veram cordis libertatem, quam inquirō.

12 Nolo intelligere, seu velle nisi te, vt obediens fiam: nolo amare nisi te, vt castus fiam: nolo possidere, aut cupere nisi te, vt diues pauper fiam.

13 Oro ergò te, suauissime Deus cordis

dis

dis mei, vt in posterum vtaris me, velut
mancipio tuo; nec patiaris per sangui-
nem Filij tui, me degenerare à perfecti-
one huius Congregationis tuæ

41 Et tu, Virgo purissima, & fidissima
tutela Congregationis huius, quæ gau-
det patrocinio tuo, recipe me, obsecro,
inter candidatos filios tuos fœderatum
votis eisdem, quæ tibi reddere decer-
no, quemadmodum, & dulcissimo
Deo, ac Filio tuo.

15 Praxis hæc sæpè repetatur, quoaduf-
que induentus, vel professurus euoce-
tur.

LAVS DEO.

S S

IN-